


Carmelit. Discalc. Coll. Crac: Prodroma scientiarum obsequioso suo munere Lechici Carmeli vota praecurrens. i. e. Conclusiones logicae.

Cracoviensis Collegii Carmelitar. Discalceatorum
Prodroma scientiarum (Conclusiones logicae
ad mentem angelici Praeceptoris)

IESVS MARIA.

PRODROMA SCIENTIARUM,

Obsequioso suo Munere
Lechici Carmeli vota

PRÆCURRENS.

in occursum
A. R. P. N. O.

CAROLO
â SSma TRINITATE

VISITATORI GENERALI,

Patrum Carmelitarum Discalceatorum.
PROVINCIÆ SANCTI SPIRITVS
Per Poloniam & Magnum Ducatum Lithuaniæ;
Necnon
Conventûs Viennensis Priori.



â Philosophico Cursu
Collegii Cracoviensis eiusdem Ordinis,
Publicis Thesibus

PRODUCTA.

Anno, quo Præcurrente, Clamantis voce, Divinum in Orbem processit Verbum 1699.

CRACOVIÆ,
Ex Officina Francisci Cezary, S. R. M. Illustrissimi ac Reverendissimi Dñi Episcopi Crac. Ducis Severiæ: necnon Scholarũ Novoduorsc. Typographi.

l. l.



Augurii mater volucrum Regina vagarum
LILIA quid spondent ore retenta tuo?
Spondent Carmeli semper florescere prolem
Spondent victuram flore et odore meam





ADMODVM REVERENDE PATER NOSTER OBSERVANDISSIME.

PRodroma Scientiarum præmissa, Lechicus Tibi occurrit Carmelus. A. R. P. N. O. Liberi Regni intra Libertates consistens, Regium procedendi modum licere sibi non dubitat, cui Avitum Decus Regalem in stemmate Coronam reseravit. Debitum proinde Principibus subsequitur Scipionem, qui æmulo Regibus murice purpurascenti quoq; Tuo Nomini, Antesignano Logicæ munere famuletur. Physica quamvis hic non attendantur asserta, attamen in occursu Tuo prævius conjicitur asseri concursus, quem subsequimur. Proprium hoc Thomisticæ Palestræ aliter in publicum non prodire, nisi præviâ motione. Motum hunc MICHAELIS Ædium Inquilini ordiuntur Motores Angeli, Gentilitia Carmeli sidera in Tui venerationem præmoventes. Sequi Angelos etiam Angelicus exambit Præceptor; alias in Aquinatico Phæbo Astrorum Princeps, præeunte nonnisi Phosphoro incedere asuefactus. Conditionem Magistri sui Thomistico Peripateticum usurpat Lyceum, Principum sibi magnificentiam in Prodromo vendicando, ubi Philosophi regnant Regesq; philosophantur. Nobis tamen in Angelorum stativis inter administratorios spiritus commorantibus, cum scientiarum ministra debito arrisit obsequio antecedere. Nec alia ancillari scientiæ conveniunt munia, quàm ministrare. Sermo cùm sit ex Ethymo suo Logica, vocibusq; intenta, quid commodiùs præstare poterat, nisi scientiarum præire agmina? Cælesti namq; sapientiæ Præcursorem agere solita vox Clamantis. Hujusumodi verbi Prodromum imitata, de Prædicamentis digna depromit præconia, Principi suo Præcursorem actura & Præconem. Hinc cunctæ ad illam recurrunt voces, quibus nisi è nutu Rationalis scientiæ in publicum (more Lechico) non licet prosilire. Ad

Pompam aliis Principibus Mareſchalci deſervit ſcipio, Logicæ obſequium in tantum exigitur, ut hâc non præeunte imperfecta ſcientiarum Majeſtas cenſeatur. Vicinum illa in Demonſtrationis ſtructura monſtrat Principem, cujus literarium ſolium aliter non adeundum, niſi ex benevolentia Logicæ Demonſtrationis habitu acquiſito. Nec immeritò uſum proprius excluſit à materiis. Publicum namq; Officialem actura, uſum ſui muneris non privatis negotiis, verùm aliis reſervavit Doctrinis, ut Directricis Officio fungeretur. Nec ipſe ſummus ſacratiorq; Theologicus Apex recuſat Obſequium Logicæ, dum dilemmata illius & objecit, & objecta ſibi, retorſit ſapientia Incarnata. Tota ergo Divinarum humanarumq; ſcientiarum univerſitas introducitur à Logica, cui de Introductione Iſagogica, Porphiriana Arbor ſcipionem porrigit pro Inſigni. Vicinam proinde ſcias jam ſcientiarum adeſſe majeſtatem, cujus Prodroma obviam Tibi ſiſtitur. Familiarior equidem illa Tibi extiterat, nunc magnificentiori apparatu ad Te proceſsit, poſtquam literarios labores in honoris culmen evexiſti. Solæ Tibi antea Literis amicæ adhæſerant Laureæ; nunc bajula Imperii Coronæ Vienna, Præſulei muneris detulit Tibi faſces. Non pridem Te animantium Princeps Leo Belgicus Viſitatorem Generalem ſalutavit, nunc Te eodem munere inſignitum Coronata Regina volucrum Sarmatica dum recipit Aquila, quo Te? niſi ad Coronas procedere judicavit. Sic debitæ pridem Tuis meritis dum Te complectuntur Coronæ, debitum Coronatis Prodromum, ſtatuunt in Logica. Hæc poſtquam in occurſum Tibi Lechicum deduxit Carmelum, Te quoq; intra Regni ac Filialia deducet viſcera. Et ne hæc (confictis Entibus adtentos in Logica) fingere nos reputes incapax ejusmodi fictionis propenſior in Te Voluntas ſuis teſtatur votis, quibus ad perenne Tui Obſequium cum Ancillari ſcientia obſtringimur.

Reverentiæ Veſtræ, Patris Noſtri Obſervādiſſimi.

Humillimi Servi & Filij.

FF. Carmelitæ Diſcalceati.
Collegij Cracovienſis Philoſophiæ Auditores.

IESVS MARIA.

CONCLVSIONES LOGICÆ.

Ad Mentem Angelici Præceptoris.

I.

LOgica eſt ſcientia ſpeculativa, ſiſtens tanquam in fine proprio & primario, in Contemplatione ſui Obiecti: ſecundarius finis eius eſt, perficere & dirigere Intellectum in ſuis Operationibus, ut ſine errore Veritatem in rebus cognoſcere poſſit.

II.

OBiectum Logicæ eſt Ens rationis Logicum, ſive omnis ſecunda Intentio, quæ eſt veritatis oſtenſiva: actus verò Intellectus, Res, & Voces, ſecundùm ſuum eſſe reale ad Materiale Obiectum huius ſcientiæ reducuntur.

III.

DAtur Ens rationis, quod ſolùm habet eſſe Obiectivè in Intellectu: Eſſentia illius conſiſtit non in ſola Denominatione Extrinſeca obiecti cogniti, ſed in Entitate ficta à noſtro intellectu, ab illoq; tantùm, & non ab alia potentia volitiva, vel ſenſitiva formari poteſt.

IV.

NAturæ Vniverſales dantur à parte rei, non ſeparatæ à ſingularibus: in his naturis datur Vnitas Formalis, quæ non eſt communis pluribus poſitivè, ſed multiplicatur in Inferioribus: ab vnitate numerica non diſtingvitur diſtinctione media ſcotiſtica (quæ repugnat,) ſed virtualiter tantùm.

V.

VNiverſale formaliter ſumptum, ſeu Vniverſalitas ſolùm fit per operationem Intellectûs, comparantis Naturam ad ſua Inferiora. habet rationem generis, reſpectu quinque Prædicabilium, ſcilicet reſpectu Generis, Speciei, Differentiæ, Proprij, & Accidentis.

VI.

GEnus eſt, quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie *in Quid*; Non prædicatur de illis ut pars, ſed ut habet rationem totius: non poteſt ſalvari in unica ſpecie, quamvis ſpecies ſalvetur in unico Individuo: vtraq; tamen Phyſicè ſumpta ſalvantur.

VII.

SPecies eſt id, quod prædicatur de pluribus differentibus numero *in Quid*: non eſt prædicabilis ut eſt formaliter ſubijcibilis: quamvis illi repugnent plura Individua, poteſt eſſe Vniverſalis; & hoc potiſſimum ſpeciei ſubſtantiarum immaterialium (ut ſunt Angeli) competit.

VIII.

DIfferentia eſt id, quod prædicatur de pluribus *in Quale Quid*: non eſt Vniverſalis per Reſpectum ad ſpeciem quam conſtituit, ſed per Ordinem ad Inferiora illius. Proprium conveniens omni ſoli & ſemper per hoc differt ab Accidente, quod oriatur ratione formæ, & per ſe primò convenit ſpeciei.

IX.

SVbſtantia in propria & eſſentiali ratione non conſtituitur per negationem eſſendi in alio, neqve per hoc quod ſubſtet Accidentibus, ſed per eſſe per ſe. Chriſtus Dominus, ſubſtantiæ Corporeæ, & Incorporeæ, excepto ſolo DEO Optimo Maximo, pertinent ad Prædicamentum ſubſtantiæ.

X.

X.

QVantitas diſtingvitur realiter à ſubſtantia; pro formali ac eſſentiali ſua ratione, dicens extenſionem partium in ordine ad ſe: eſt Accidens extenſivum, ſeu tribuens partes ſubſtantiæ, quæ tales partes quantitativas ex ſe non habet.

XI.

RElatio eſt, cuius totum eſſe eſt ad aliud ſe habere. Diſtingvitur realiter à ſuo fundamento, non terminatur formaliter ad aliquid abſolutum, unde cuiuscunq; Relationis terminus eſt quid Relativum. Ad hoc Prædicamentum ſolæ Relationes ſecundùm eſſe Creatæ pertinent.

XII.

QValitas eſt Accidens diſpoſitivum Subſtantiæ. Actio eſt Accidens, à quo res conſtituitur actu producens. Paſſio eſt receptio termini. Hæc & alia ultima Prædicamenta, non in ſola Denominatione extrinſeca conſiſtunt, ſed ſunt Formæ Accidentales Intrinſecæ.

XIII.

DEmonſtratio eſt Syllogiſmus faciens ſcire. Dividitur adæqvatè in Demonſtrationem *Quia*, & Demonſtrationem *propter Quid.* In Demonſtratione Aſſenſus præmiſſarum eſt Cauſa aſſenſûs Concluſionis, neceſſitatq; Intellectum ad huiuſmodi aſſenſum.


XIV.

SCientia quæ Habitus per Demonſtrationem acquiſitus dicitur, Vnitatem propriam, tàm Genericam, quàm ſpecificam deſumit ab Obiecto, non in eſſe rei, ſed in eſſe ſcibilis conſiderato. Illa propriè ſubalternata dicitur ſcientia, cuius Obiectum accidentaliter continetur ſub Obiecto ſubalternantis.

XV.

HAbitus primorum Principiorum versatur circa Propositiones Vniversales, necessarias, immediatas, & speculativas: Distinguitur ab Intellectu, estque partim acquisitus, partim inditus à Natura. In eodem Intellectu, de eodem Obiecto nequeunt esse simul cum Opinione Scientia.

Ad Maiorem DEI Gloriam.



Disputabuntur publicè in Collegio Cracoviensi Carmelitarum Discalceatorum. Anno Domini 1699. Mense Horis Pomeridianis.

